

# Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

## Decretum definitivum

Prot. N. 22036/90 CA

Dioecesis N.

Suppressionis paroeciae

(D.dus [X] et [Y]– Congregatio pro Clericis)

Actionis iudicati

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XVII, die 12 novembris 1994, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mo ac Rev.mo D. Bernardino Gantin, et Exc.mis ac Rev.mis Vincentio Fagiolo, *Ponente*, Philippo Giannini, Aemilio Eid et Iuliano Herranz Casado, in causa N., Suppressionis paroeciae, Actionis iudicati, inter D.nos [X] et [Y] et Congregationem pro Clericis, intervenientibus Cl.mis Patronis Renato Ottaviani pro parte recurrente et Carolo Gullo pro parte resistente, necnon Rev. mo Raimundo L. Burke, Promotore Iustitiae ad hunc casum deputato, hoc definitivum tulit decretum.

1. – **Facti species.** – Hoc Supremum Tribunal sententia diei 20 iunii 1992 statuit: «... Ad 2) Constare de violatione legis in procedendo quoad: a) suppressionem paroeciae, quia observata non fuit norma can. 515. § 2; b) reductionem ecclesiae [W] in usum profanum, quia non observata est norma can. 1222, § 2. Ad 3) Archidioecesis [N.] tenetur ecclesiam paroecialem ad statum quo gaudebat ante eius suppressionem restituere».

Qua sententia notificata, Em.mus Archiepiscopus [N.] decretis diebus 2 et 8 decembris 1992 executionem iussit praefatae sententiae.

Idem Em.mus Archiepiscopus dein duplici decreto diei 14 decembris 1992 denuo suppressionem paroeciae et reductionem ecclesiae paroecialis ad usum profanum statuit et, rebus sic stantibus, restaurationem ecclesiae [W] irrationabilem retinuit.

2. – Recurrentes diebus 5 octobris et 14 decembris 1992 necnon 15 ianuarii et 3 februarii 1993 actionem iudicati coram hoc Supremo Tribunali proposuerunt ad obtinendam executionem sententiae diei 20 iunii 1992.

Interim Recurrentes recursum contra nova decreta Em.mi Archiepiscopi apud Congregationem pro Clericis exhibuerunt, quae eum die 10 iulii 1993 reiecit. Recurrentes tum contra hanc decisionem recursum contentioso-administrativum penes Signaturam Apostolicam die 26 augusti 1993 instituerunt (cf. Prot. N. 24501/93 CA). Die 7 iunii 1994 autem iidem Recurrentes recursum contentioso-administrativo destiterunt, firma manente actione iudicati ad executionem sententiae definitivae huius Supremi Fori obtinendam.

Re rite discussa inter cl.mos Patronos partium et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum, nunc de proposita quaestione videndum est.

3. – **In iure et in facto.** – Quoad suppressionem paroeciae et reductionem ecclesiae paroecialis in usum profanum, a limine dicendum est non dari actionem iudicati.

Ad rem sententia diei 20 iunii 1992 constare statuit solummodo de violatione legis in procedendo.

Em.mus Archiepiscopus huic sententiae obtemperavit et eam diebus 2 et 8 decembris 1992 executioni mandavit. Quod ipse deinde denuo decrevit suppressionem paroeciae et reductionem ecclesiae in usum profanum, minime obstat executioni sententiae, nam idem Em.mus Archiepiscopus hac vice iuxta legis canonicae praescripta processit ideoque vitia de quibus in sententia diei 20 iunii 1992 vitavit. Deest proinde hac in re materia contendendi ad propositam actionem iudicati quod attinet.

4. – Perspecta legitimitate novae suppressionis paroeciae et reductionis ecclesiae paroecialis in usum profanum, omnino irrationa-

bilis apparet petitio ut ecclesia [W] restauretur ad statum quo antea gaudebat.

5. – **Decisio.** – Omnibus et singulis tum in iure tum in facto rite perpensis et cribatis, propositae quaestioni censuerunt Patres respondendum esse, uti respondent: **QUOAD SUPPRESSIONEM PAROECIAE ET REDUCTIONEM ECCLESIAE PAROECIALIS IN USUM PROFANUM NON DATUR ACTIO IUDICATI IN CASU. QUAPROPTER RESTAURATIO ECCLESIAE PAROECIALIS AD STATUM QUO ANTEA GAUDEBAT URGENDA NON EST.**

Pro expensis processualibus summa pecuniae in casu adhuc apud arcam huius Signaturae Apostolicae deposita retinetur.

Unaquaeque pars solvat proprio Patrono congruum honorarium.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 12 novembris 1994.

(signati)

+ Bernardinus Card. GANTIN  
+ Vincentius FAGIOLO, *Ponens*  
+ Philippus GIANNINI  
+ Aemilius EID  
+ Iulianus HERRANZ CASADO

Notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

Die 21 novembris 1994

+ Zenon GROCHOLEWSKI, *Secretarius*  
Vincentius CÀRCEL ORTÍ, *Cancellariae Moderator*